

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Partis II. Illustriorum Jsaiæ Locorum Dissertatio XIV. De Altari In Medio Ægypti,  
Statuaq[ue] In Termino Eius Domino Exercituum Erigendis : Ex Jsa. XIX. v. 19.**

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingii, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100343665X>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 16. April 1701

Habichhorst, Andr. Dan.



PARTIS II.  
ILLUSTRIORUM JSALÆ LOCORUM  
DISSESSATI<sup>358</sup>O XIV.  
DE

ALTARI  
IN MEDIO ÆGYPTI,  
STATUAq;  
IN TERMINO EIUS  
DOMINO EXERCITUUM ERIGENDIS,

Ex JS. XIX. v. 19.

Qvam

Auxiliante DEO-Homine & R. FCte Theol. consentiente,  
PRÆSIDE



ANDREA DANIELE  
HABICH HORSTIO.

S.Th.D. Ejusdemq; PP. & Seren. Duc. Mekelb.

Consiliario Consistoriali Collegiique Proff. Ducalium

& FCtis Theol. Seniore hodieq; Decano,

Sententiarum collationi Academicæ,

ad d. 16. Aprilis A. 1701. in Aud. Maj. instituende

fistit

CHRIST. HÜBNER, BREG. SILES.



Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

VIRIS  
PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,  
AMPLISSIONIS,  
PERQVAM REVERENDIS ET PRÆCLARISSIMIS;  
**DN. CAROLO FRIDERICO Bärberi/**  
J. U. D. ET PRACTICO CELEBERRIMO, UTI ET  
HÆREDITARIO IN Rabebaum &c. POLLENTISSIMO:  
**DN. HENRICO BECKERI/**  
ECCLESIAE AD D. JACOBI HIC PASTORI PRIMARIO  
RELIGIOSISSIMO:  
**DN. JOHANNI SENSTIO;**  
ECCLESIAE AD D. MARIAE ARCHIDIACONO, UTI ET  
COENOBII AD S. CRUCEM PASTORI  
LAUDATISSIMO:  
**DN. M. JOHANNI ZEIDLERO,**  
ECCLESIASTÆ PETRINO DEXTERIMO:  
**DOMINIS PATRONIS ac FAUTORIBUS MA-**  
XIMOPERE COLENDIS,  
DISSERTATION. HANC EXEGETICO-THEOLOGICAM  
DE ALTARI IN MEDIO EGYPTI ERIGENDO,  
IN ANIMI OBSERVANTIS ARAM  
ET RESPECTIVE GRATITUDINIS ARRHAM,  
CUM VOTO OMNIMODÆ PROSPERITATIS  
REVERENTER CONSECRAT OFFERT q;

CHRISTIANUS HÜBNER, BRIGA SILES.  
SS. THEOLOG. CULTOR,

De

*Altari in medio Ægypti statuaq; in termino  
eius DOMINO erigendis.*

Osteversonem Ægypti parte pri-  
ori capit is xix. Jsaiae prædictam,  
descripserat Propheta ejusdem  
populi conversionem, tum ratio-  
ne subiecti, quod sint quinq; Civi-  
tates in terra Ægypti v. 18, tum  
ratione predicati, per certa quæ-  
dam argumenta vel fructus,  
quorum (1.) sit labium Canaan,  
quo quinque Civitates in Ægy-  
pto sint locuturæ (2) juramentum ab iisdem DOMINO ex-  
ercituum præstandum, de quibus jam suprà ad præceden-  
tem locum fuit disquisitum. His tertium jam argumen-  
tum conversio nis Ægypti succedit, quod est altare in me-  
dio Ægypti & statua, in termino eius DOMINO erigenda, de qui-  
bus Propheta seqventibus verbis v. 19. ita vaticinatur:  
בַּיָּם הַהוּא יְהוָה מֹבֵח לְיהוָה בְּחוֹן אֶרֶץ מִצְרָיִם  
h.e. in die illo erit altare DO-  
MINO in medio terre Ægypti, & statua juxta terminum eius DO-  
MINO. Cujus loci cum nonnullus reperiatur abusus, non  
possimus quin & ipsū brevi אֲלֹתָנֶשׁ, quæ genuinū loci sen-  
sum indagabit, simulq; ab abusu illū vindicabit, & usum deniq;  
indicabit, DOMINO exercitum benedicente, illustremus.

§. 2. De altari autem præcipue hic dñs ferturi, non  
soliciti sumus de *cymo* ejus, utrum ab altitudine, an vero  
quasi alta area dicatur, cum scire nobis sufficiat, vocem He-  
brei fontis, *מֹבֵח*, quæ *altare* significat, vi originis / *acrifi-  
torium*

M m

DISP.  
XIV.

torium notare locum, quem adeo Græci & speciatim LXX. *γνωστήν vocant: ortum enim debet Radici ἡγεῖται i. e. se rifi- ficatione mactando.* Nec curamus jam quæstionem, an alia re & aræ differant? nec evolvimus *equivocationem nominis* altaris, quod coeteroqvi etiam sideri competit cœlesti & inter hostiæ caput & extremam Scorpionis caudam conspi- citur: multo minus *gentilium* altaria nobis hic curæ sunt, neq; de *Iudeorum & Christianorum* altaribus ex professio agimus. Nec varias altaris *appellationes* repetimus, ne- que jam cogitatione perqvirimus, quando & unde originem al aria traxerint, non ignorantes, jam inde ab origine mundi *Abelem & Cainum* hostias DEO obtulisse Gen. 4. qui adeo creduntur altaria sive ex aggesto cespite sive ex lapi- dibus sive ex lignis adhibuisse, & *Noachum* esse primum, qui altare legitur exstruxisse Gen. 8. sed *Jacobum* esse pri- mum, qui diserte id Dei jussu condidisse prohibetur Gen. 15. v. 1 & 7. Neq; jam excutimus, quod altaria primum ad *sacra* qvidem peragenda fuerint erecta; deinceps vero in- ter gentiles etiam ad *Principum bonores*, imò & illo nonnun- quam tempore *sunt coindita*, cum iter aliquod periculosemen- esensi essent. Neq; nunc loqui intendimus de altaribus iis, quæ de loco in locum portabantur, fixisque altari bus con- tradistingebantur, & Latinis *portatilia*, imò & in *Jure Cano- nico* & qvidem cap. fin. *quoniam de privilegiis in sexto Bonifacij, viatica, alibi vero altariola, gestatoria & tabula itine- rarie*, Græcis deniq; apud *Balsamon* ad *Concil. 6. canon. 31.* novo nomine *avmptuosa* & alibi *avmptuosa* vocantur, q. d. mensæ sanctæ vicaria; quamvis & alii aliter derivent, quo- rum primordia Constantini M. Imperatoris ætati præpri- mis deberi existimant, quippe qui, cum ad bellum profe- sturus, *tempulum portatile* semper habuerit secum, teste *Eusebio*

*sebjo* in vita Constant. M. l. 4. c. 5. lit. C. & *Sozomeno* in Hist. Eccl. l. 1. c. 8 unà qvoçj talismodi altare secum tulisse putatur. Neqve animus nunc est indagare, quando cœperint Christianorum altaria, & an Apostolis juxta Pontificios sint coeva; an verò seculo demum 2. ex Sixti constitutio-ne sint adhibita; an potius seculo quarto, tempore laudati Jan. Constantini M. cum splendidis planè templis ab eodem exstructis, & tempore *Sylvestri Papæ*, qui Constantini *οὐχερος* fuit, adhiberi cœperint? Nec inquirimus, an Christianorum altaria in principio *ligneæ*, & deinde (juxta *Jus Canon. in decreto dist. i. de consecr. can. 31.*) *lapidea* fuerint? Necj expendimus, qva occasione Christiani altaria ex *medio templi*, in qvo olim fuerunt sita, ad *extremam ejus partem*, qvam Græci *βῆμα* vel *ιερα θῖον* appellarunt, nos cum latinis hodienum appellamus Chorum (qui olim etiā non in extrema templi parte sed in medio erat templo) locarint & hodienum locent? De his enim & similibus sollicitos esse alios permittimus, qvibus altaria ex instituto vel altarium naturam tractare adlubetcit; nos verò tantum circa *exegesin* loci hīc occupati, *altare in medio Agypti*, in argumentum conversionis Agyptiorum *DEO erigendum*, consideraturi, tam verba qvam res ad compendium maxime confereimus.

§. 3. Progenuuo igitur *sensu* loci evolvendo, sequentes duæ qvæstiones breviter sunt expediendæ, (1) qvid per *altare in medio Agypti DEO erigendum* intelligatur, an *propriè dictum*, ex *lapidibusque vel terra confectum*, & sive *sacrificiis* sive *memoriae* destinatum, nec ne? (2) qvid per *flauam in finibus Agypti DEO ponendam* indigitetur, & an *flaua* fuerit obiectum cultus? Ad I. qvæst. de *altari*, respondere qvidam deprehenduntur, qvod *propriè dictum* vel

materiale h̄ic *altare*, sive ad sacrificia sive ad memoriam erigendum, intelligatur? Eò enim tendit *Grotius*, q̄i ad h̄ac verba: *erit altare Domino*, ita commentatur: *nempe ad memoriam, ut Jof. 22. non ad sacrificia.* Altare vero, ad memoriam sive in testimonium Jof. 22. à Rubenitis, Gaditis & dimidia tribu Menasse erectum, erat propriè dictum vel materiale ex lapidibus s. terra confectum. Altaria enim non ex lapide semper fuisse condita, qvis dubitaret? In lege enim Mosis altare legitur etiam *terreum* extra tabernaculum Exod 20.24. imo & *ligeum* portatile sub dio, Exod. 17.1. 7. & *aneum* holocaustorum & sacrificiorum in atrio tabernaculi Exod. 40. 6. & c. 39.39 tandemq̄ *aureum* thymiamatis in sancto tabernaculi ibid. c.40. 5. & 26. Petrus qvoqve *Molineus* in suo de *altari* libro, colligere se, ait, *prima altaria, in quibus Adam creditur obtulisse, & Cain pariter ac Abel immola se hostias videntur, non fuisse terre cumulum natura vel easu extantem, vel crepidinem alicuius rupis, sed structuram vel ex aggesto celsitate vel ex lapidibus vel ex lignis,*

§. 4. Eodem qvoqve olim collimavit *Onias*, qvidam ex Jhudæorum Pontificibus: non ille Onias sacerdos summus, qvi summis evehitur laudibus 2, Maccab. 3. & 4. Nec ille Onias, cuius filius Simon incomparabili Syracidis encomio ornatur, Syr. 50. v. 1. 6. & seqq. sed alius cuiusdam Oniæ Principis Sacerdotum Hierosolymitanorum filius, cœt vocatur à F. Josepho l. 13. Antiqv. c. 4. qvi tamen ipse eundem altibi, nempe l. 7 Bell. Jhud. c. 30. *Simonis* filium appellat. Cum enim *Onias* ille, Antiocho Syriæ Rege cum Jhudæis bellum gerente, ex urbe Jeruschalem fugatus graduqve suo dejectus esset (potentiâ enim is prævalens, Tobiæ cuiusdam filios civitate expulerat; hi vero ad dictum

*etum*

Etum modo Regem Antiochum confugientes, eundem  
incitabant, ut Ihudæam invadens, urbe expugnatâ tem-  
ploque spoliato religionis assiduitatem per triennium &  
qvod excurrit inhiberet) adeoq; fugatus novum hono-  
rem & dignitatem nominisque celebritatem captaret, mox  
in Aegyptum ad Regem Ptolomæum Philometerem, Antio-  
chi inimicum profugit, & hanc Jesaiæ Prophetiam de al-  
taris, DEO in medio Aegypti erigendo, Syncedochicè de tem-  
pli in medio Aegypti ædificando interpretatus, adeoq; alta-  
re proprie dictum hîc intelligens, dicto jam Regi Ptolo-  
mæo autor fuit, ut, cum non tantum utile id foret (arbitra-  
batur enim se ad templum illud omnem ab Hierosolymis  
multitudinē revocaturū) sed ab Ilsaia qvoq; prædictum hoc  
loco esset, magnificum in regione Aegypti Heliopolitana  
templum, apud castrum cui nomen Bubastis, à se ædifi-  
cari concederet, uti laudatus modò Josephus refert l. 13.  
Antiqv. c. 4. qvi tamen ibidem simul pietatem Ptolomæi &  
Cleopatræ, ex epistola, qvam ad Oniam illum rescribendo  
exararunt, elucentem, considerari cupit. Siqvidem pec-  
catum & legis transgressionem (verba sunt Jósephi) super  
caput Oniæ posuerunt, hunc in modum ipsi rescribentes:  
*Rex Ptolomeus & Regina Cleopatra Onie salutem: Legimus  
tuam petitionem, in qua suggestebas, permitti tibi templum He-  
liopolitanum dirutum purgare. Quia propter miramur, si Deo  
gratum sit templum, qvod edificaturu sis in tara luxurioso loco  
plenoque saris animalibus. Sed quoniam dixisti Prophetam  
Esaiam jam dudum hoc prædixisse, concedimus tibi, si contra le-  
gem vestram non est, ut nihil nos in DEUM peccasse rideamus.*  
Ita illi ad Oniam. Hic ergo non tantum à Rege locum  
accipiens, sed & redditus pecuniae, ut etiam Sacerdotibus  
copia esset ad multa, qvæ DEI cultus desideraret, ceu lo-

M m 3

qvitur

## ILLUSTRIORUM JSALÆ LOCORUM

qvitur idem Historicus l. 7. de Bell. Jud. c. 30. templum a-  
pud Agyptios, in loco sibi concessō ædificavit , & altare  
DEO, Hierosolymorum altari simile, minus tamen & pau-  
perimum (ceu idem Josephus ibidem loquitur , erexit ,  
imò & invenit Jhudæos qvosdam sui similes & Sacerdotes ac  
Levitas, Deum ibi colentes. Qvomodo autem templum  
hoc Oniæ & à qvibus & cujus demum iustu fuerit clausum,  
ita ut ne veltigium qvidem divini cultus in eo resideret,  
postqvam usq; ad ipsa Imperatoris Vespasiani tempora fte-  
terat, & inde à tempore ædificationis ejus anni 333. flu-  
xerant, idem Josephus citato jam cap. 30. lib. 7. de B. J. re-  
censet, qvem ipsum etiam, qvod ad Vespasianum attinet,  
tam præced, c. 27. qvam seqv. 31. conferre licebit.

§. 5. Cum verò seqvente statim versu 21. ap. Jesa-  
iam sacrificiorum fiat mentio, qvibus iidem Agyptii Do-  
mino servituri dicuntur, hinc primò de altari ad memorie  
am frustra hic locus à Grotio accipitur : deinde etiam cum  
ante Messiæ tempora sub lege non nisi in urbe Jeruscha-  
lem, ubi altare Domini erat, sacrificare, adeoque nec al-  
tare ad sacrificandum erigere, extra speciale DEI manda-  
tum licuerit ; & tamen tale hic altare Domino erigendum  
dicatur, in quo juxta v. 21. offerenda sint sacrificia & qvi-  
dem tempore Messiæ , quo sanè Agyptii eodem versu 21.  
majori cognitione Domini gaudere dicuntur, hinc Pro-  
pheta nec altare propriè dictum sive materiale , in quo sa-  
crificia olim corporalia offerebantur aut suffitus adole-  
bantur, nec adeo Synecdochice tempulum peculiare , qvod al-  
tare hujusmodi contineat; sed sermone hic tropico, nomi-  
ne altaris tanquam signi, cultum DEI sub Messia per pbra-  
sin Eritus V. T. descriptum , denotare censetur, q. d. co-  
letur Deus ab Agyptiis cultu Noyo Testamento conve-  
nien-

niente, sacrificiis nempe spiritualibus, uti nunc ab Israëlitis apud altare holocausti sacrificiis corporalibus colitur, adeoq; *Onias* etiam pervertisse hunc locum, temerèq; pro suo allegasse templo judicatur. Ad ceremoniam enim veri cultus in V. T. erigebatur altare iptæq; oblationes, qvæ in illo fiebant, luculerita erant cultus divini fideiq; in Messiam exercitia; qvemadmodum & iplios inter gentiles altaria Diis struebantur, qvibus divinitatem tribuebant.

**S. 6.** Qvod verò alibi qvoq; in Scripturis *altare* non raro *tropice* & qvidem *metonymice* pro *cultu DEI* accipiatur, ex seqq. locis elucescit. Annon enim cum dicitur tam in V. T. Psalm. 62. 6. *altare DEI circumcire&c.*, Ps. 43. 4. *ad altare DEI accedere*; qvam in N. T. Matth. 5. 23. 24. *affero re munus suum ad altare*, idem est ac Deum colere, atq; adeo facros cœtus adire vel iisdem interesse, ut solennem publicunq; DEO cultum exhibeas, qvoniam sacrificia oblatur ad altare accedebant? Annon speciatim *cultus Leviticus à DEO* sub lege institutus intelligitur eversus, cum 1. Reg. 19. 10. 14. dicitur: *fili Israël altaria tua frēgerunt?* Annon *confertem esse altaris*, qvod dicitur 1. Cor. 10. 18. idem est ac approbare cultum, qvi exhibetur in altari, atq; ve adeo profiteri se cum Jhudæis ejusdem religionis vinculo junctum esse?

**S. 7.** Qvod porrò etiam non insolens vel novum sit in Scripturis præcipue Propheticis, per *pbrasim* & *ritus* V. T. res & cultum *DEI* in N. T. sub *Messia futurum* descrebere atq; ve adeo ad captum hominum sermonem accommodare, B. Glässius lib. 1. *Pbjl. Sacr. Tr. 4. SeEt. 1. an. 2.* ostendit, simulq; ex dicendis id patebit. Annon enim idem *Iesaias noster* cap. 2. v. 2. & 3. Ecclesiam & cultum N. T. in novissimis

simis temporibus futurum descripturus, temporis sui phrasibus, ex V. T. conditione, cultu & ritu desumit utitur, dicens: *præparatus erit mons domus Domini in vertice montium & elevabitur pre collibus, confluentque ad eum omnes gentes, & dicent: venite & ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob, & vias nos suas docebit &c.* Conf. & Jesai. 66. 20. 21. Annon etiam *Jeremias c. 33. 18.* postquam de Messia temporibus erat vaticinatus, illumque & germen justitie & Ieovam justitiam nostram appellaverat, mox phrasibus V. T. ministros & Apostolos Messia itemque cultum N. T. depingit dicens: *non deficient ipsi Sacerdotes Levite, nec vir à facie ejus, qui offerat holocaustum & incendat oblationem & faciens sacrificium omnibus diebus.* Annon & *Malachias* quando cap. i. v. ii. prædictit, qvod tempore Messia oblatio munda DEO sit offerenda, verbis vel phrasi V. T. *purum novumque DEI cultum & genitum ad Ecclesiam vocationem* in N. T. futuram designat? Ut adeo frustra sint Pontificii, dum ex illo Malachiæ loco probare conantur, aliquod sacrificium ab antiquis boum pecudumque sacrificiis diversum, nempe *sacrificium Missæ* in N. T. ubiqꝫ esse futurum? Annon & *Apostolus* ad hunc Propheticum loquendi morem & ad illum Malachiæ locum respicit, quando Rom. 15. 16. vocatos gentiles dicit fieri *sacrificium DEO gratum?* imò & Rom. 12. 1. sacrificium sui ipsius, prætereaqꝫ Ebr. 13. 15. sacrificia laudis & Eleemosynarum requirit? Annon similiter ipse Christus Matt. 5. 23. 24. dicens: *cum munus tuum ad altare affers &c.* verbis V. T. instantem N. T. cultum insinuat, suumque sermonem ad rationem temporum suorum accommodat, qvibus eretum Hierosolymis altare erat, ad qvod accedebant sacrificiis Deum culturi; ut adeo sanè ineptirent, qvi inde colligerent,

ligerent, Christum altaria in Novo quoque Test. instituisse  
Pariter ergo hoc etiam loco Propheta noster vaticinum de  
altari in medio Aegypti futuro euens, rationem sui temporis  
& hominum, quibus cum ipsi negotium erat, habebat. Ihu-  
dæi enim sub illa V. T. paedagogia educati, altius adscendere  
non poterant, quam quæ ceremoniæ, ritus & signa illos per-  
ducebant. Unde ad illos verba faciebant Prophetæ, uti  
ad pueros solemus, quibus adeo nihil proponendum fue-  
rat, quam quod capere poterant. Sub umbris ergo altariorum  
& sacrificiorum verus latet ac sincerus DEI cultus, uti  
dictum est. Umbras vero tollantur & veritas retineatur.

S. 8. Sufficiant hæc de altari in medio Aegypti.  
Jam quoq; II. videbimus, quid de מִזְבֵּחַ sive statua, in fini-  
bus Aegypti futura, statuendum. Respondemus hic paucis  
per statuam intelligere Prophetam non simulacra, quæ fi-  
guram divisorum vel hominum gerunt & objectum sunt cul-  
tus, quales fuerunt מִזְבֵּחַ Baal. 2. Reg. 10 27.  
& statuae idolorum, quos confringere jubebantur Israelitæ,  
terram Canaan ingressuri, Deut. 7. 5. sed columnas vel lapi-  
des, quos tanquam limites vel signa ad regionum discreti-  
onem in finibus ponere solent. Hinc Lutherus reddit  
Mahlstein. Quid vero statuae haec monumenta fuerint vel  
indicia vel signa, ex quibus cognoverint omnes, populo illi  
Dominum imperare & Dominum illic adorari, adeo-  
que Aegyptios, qui creteroqui superstitiones aliis fuerunt,  
non ut antea (vid. præcedd. v. 1. & 3.) diis falsis & imagi-  
nibus vel figuris animantium erectis, gloriam quæ Domino  
Deo exercituum debetur, attributuros, sed ipsi Domino in  
peculium esse consecrandos, ex immediate seqq. verbis v. 10.  
clarescit, cum dicitur: *וְלֹא עָמֹד אֶת־הַזְרָעָה בְּאֶת־הַמִּזְבֵּחַ* i.e. in signum & te-  
stimonium Domino in terra Aegypti, q. d. inscriptio termi-  
norum Aegypti haec erit: *וְיְהֹוָה יְהֹוָה* i.e. Jehovah, ut ipsa haec omni-

Nn

bus

246           ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM  
bus signet ac testetur, Ἡgyptios jam conversos, rejectis su-  
perstitionibus & idolis, Deum colere summum.

§. 9. Dicuntur autem hæ statuæ גְּבָרוֹת לְעֵנֶה h. e.  
ad finem s. terminos Ἡgypti statuendæ. Nimirum uti  
altare hīc prædictitur in *mea* Ἡgypti i. e. in ipsa regni sede  
erigendū h. e. cultus Dei & Messiaæ in intimo ejus sinu insti-  
tuendus, qvò scilicet facilius inde ad incolas omnes dima-  
nare posset: ita *statua in finibus* Ἡgypti erant futuræ Domi-  
no, qvæ intrantibus has terras tam manifestū essent si-  
gnum, qvod Ἡgyptii cultui jam Jehovæ & Messiaæ sint ad-  
dicti, qvā manifestū aliás regiouem aliquam intrantibus  
*ex insignibus* Principis vel Regis ad lapidem vel columnam  
appensis fieri solet, qvod illa regio ad hujus vel illius Prin-  
cipis possessionem spectet. Non ergo in medio tantum  
Ἡgypti sed usq; ad extremos etiam terminos nomen Do-  
mini celebrandum & Evangelium sicut prædicandurr. Qvæ  
completa sunt, cum religio Christiana abs Marco & aliis  
Christi discipulis in Ἡgypto plantata fuit ac disseminata.  
Freqventes enim & illustres in Ἡgypto fuisse Ecclesiæ  
historia satis Ecclesiastica testatur. Idem qvoque cœte-  
ra, qvæ Propheta pluribus hīc in seqventibus addit, confir-  
mant, ubi in tropo perseverans dicit, Ἡgyptios *Dominum*  
*agnituros illique sacrificiis & muneribus esse servituros, imò*  
*vota ipse reddituros, v. 21.* illa enim denuo phrasibus V. T.  
de conversione, qva totum Ἡgypti regnum Evangelii lu-  
ce sit collustrandum, loqvuntur.

§. 10. Usus loci, & quidem (1) Didactico Elencticus (2)  
*Altare eriguntur לִירְחוֹת h. e. Domino & quidem soli.* Aliás enim si  
non soli Deo, sed & iis, qui Deus non sunt, recte erigeretur  
altare, infirmum hoc esset argumentum conversionis Ἡ-  
gypti ad Deum, qvod Propheta h. l. ab altari Domino in me-  
dio Ἡgypti eriendo desumit, cū tamen is potissimum id in-  
tendat. Qvocirca culpam idolatriæ hīc qvod incurruunt Pa-  
pico-

pieole, qui sanctis demortuis, vel, utiloqvuntur, in honorem sanctorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum etc. altaria passim erigunt. (β) Altaria tamen in N. T. ex libertate Christiana in honorem Dei & ultim Ecclesiæ retinemus. Etsi enim in N. T. altariis ad sacrificandum non est locus, cum exhibita jam re figurata nempe Messia, sacrificiis boum pecudumqve tanquam figuris & umbris amplius non sit opus; tamen sicut V. T. fideles ad cultum Dei exercendum altariis & externis gaudebant ritibus: unde & h. l. per V. T. altare cultus N. T. ceu dictum, à Jefaiā describitur: ita nec hodie in N. T. planè externos qvosdam ritus & ceremonias ad cultum Dei exercendum, speciatim laudabilem *altarium usum* rejicimus; sed ex libertate Christiana in templis illa retinemus, qvippe qvæ mensarum vicem subeunt, in qvibus non quidem cum ridiculis Missificibus Papicolis sacrificiū Missæ offerimus, qvippe qvod non tantum à Christo non institutum, sed & à natura tum sacramenti Eucharistiae tum Sacrificii propitiatorii alienum: veruntamen in iis altariis Sacram Domini Coenam dispensamus, & spirituale qvæ sacrificium offerimus; qvicqvid etiam *Reformati* hic ogganniant: cum non omne statim altare ad sacrificium propriè dictum habeat respectum: siqvidem & altaria ad memoriam & testimonium dari supra jam §. 3, ex Jos. 11. dictum, qvorsum & *Altare Gideonis* Jud. 6.24. referimus. vid. Disp. nostra de *Altari Gideonis* A. 163. hic ventilata Laudamus verò *altaris unitatem* apud nos & Græcos aliosqve Christianos in templis ordinariè observatam, quo ipso primitivæ nos Ecclesiæ consuetudine seqvimur, de qua Eusebius l. 10 Hist. Eccl. c. 4. refert, qvod in templo augustum & magnum & uniuersum altare fuerit; qvanquam non ignoramus, nonnullibi in longioribus templis duo siue ornamenti siue coimoditatis ergo adhiberi, prout in templo S. Trinitatis ap. Gedanenses, & in templo cathedrali apud Sverinenses duo habentur; Contra verò multitudinem *altarium* apud Pontificios sacrificii missæ Patronos meritò detestamur: siqvidem etiam sub Papatu hic Rostochii in decem templis (ex qvibus quatuor tantum majora sunt, unumqve extra urbis pomeria olim D. Georgio inauguraūtum jam pridem perit) 180 fuisse *altaria*, Lindebergius notavit, in *Chronico suo Rostoch.* l. 5. c. 5. p. 118. Papicolas enim in qvavis fere angulo & ad qvamvis templorum columnam altariola in honorem

norem martyrum (qvorum corpus vel reliquias altaria aſtervant, teste can. placuit 25. Distinct. I. de conſecr. ubi & altaria jubentur everti, qvæ ſine sanctorum reliquiis eriguntur) & ad offerenda Missæ ſacrificia ſtruere conſtat; cum tamen pſum Jus Canonicum in Decreto, dictâ jam Distinct. I. de conſecrat. can. Eccleſie vel altaria 18. diſertè ſuperflua deſtruere altaria jubeat, ipſiusqve M. Antonii de Dominis, Archi-epiſcopi olim Spalatini judicium iisdem refragetur L. f. de Rep. Eccl. c. 6. ubi ita ſcribit: *Omnia altaria præter unicum ſpirituale eſſent à noſtris Eccleſiis amovenda, & numerus ingens miſſificantium ſacerdotum pluri-um arētandus. Plurimum enim altarium in eadem Eccleſia & plurimo-rum ſacerdotum multiplicatio non habetur niſi poſt abuſam & introdu-um ſacrificium propitiatorium fallaciſſimum.*

§. II. Succedit (II) *Uſus Pedentius* (α) *offeramus ſpiritualia Deo ſacrificia.* Licet in N.T. ſacrificiis boum pecudumq; qvæ à fidelibus V.T. in altari offerebantur, non ſit locus, qvoniam Christi ſacrificium jam eſt exhibitum, qvod ſacrificia V. T. adumbrarunt; tamen uti olim in V.T. ſacrificia & oblationes à Deo mandatæ erant fidei in Mefiam, qvem ſacrificia præfigurabant, & cultus divini exercitia, qvibus altaria in ſerviebant: ita in N. T. ad oblationem ſacrificiorum ſpirituali-um, qvæ ſacrificia V. T. corporalia minus principaliter vel ſubordi-natè ſignificarunt, non ſimus ſegnes, præfertim cum ſpirituales ſimus Sacerdotes 1. Pet. 2. 5. Rom. 12. 1 Hebr. 13. 15. 16. *Offeramus verò hæc ſacrificia per & ſuper unicum altare noſtrum, qvod eſt Christus Hebr. 13. 10.* ſi quidem per & propter Christum Deo ſunt accepta ibid. v. 16. Ita tamen hoc officio fungamur, ne ordinarium verbi Ministerium cum Fanaticis despiciamus; ſed eodem Ministerio reverenter inter alia qvoq; ad altare utamur. (β) *Faciamus qvoq; corda noſtra Dei altaria,* recogitantes nos templum Dei & Spiritus S. eſſe, 1. Cor. 3. 16. Purificemus autem corda hæc noſtra fide in Christum Act. 15. 9. Inde in illo altari noſtro amoris erga Deum & proximum ignis ardeat.

§. 12. Reſtat (III) uſus conſolatorius. Cum enim DEus dicto jam modo inter nos qvoq; altare ſuum habeat, ſpeciatim noſ ſacramento altaris rite fruamur, imo & ex fide ſacrificia Deo ſpiritualia offe-ramus, de gratia qvoq; divina & inhabitatione Dei minimè dubi-temus; ſed animum ſempre noſtrum ſolatio ſalutis & gratiæ Dei in Christo altari noſtro inviſibili erigamus, cui cum Patre & Spiri-tu ſ. pro altari ſuo inter nos eretto ſit gloria in ſecula

nunquam terminanda!

**E**st ALTARE Tibi curæ, qvæ proſit, ut exin  
ALTARI curâ præficiare DEI!

*Dubus bisce Lineolis. Clarissimo Dn. Respondenti  
Amico suo jucundissimo applaudit*

**JOHANNES NICOLAUS QVISTORP. D.  
h. t. Acad. RECTOR.**

Ad Clare Doctum DN. RESP. HUBNERUM,  
Nuper in Collegio Theol. Disputatorio, super potiores Universæ  
Thæologiæ Polemicae Qvæſtiones Auditorem, Opponentem ac Re-  
ſpondentem singulariter industrium ſemperq; paratum,  
post alia induſtria documenta, tam publica  
qvam privatæ

*De ALTARI jam ex Jeſo. XIX. 19. publicè Diſputaturum.*

**D**um Studii jam materies ALTARE, qvod olim  
ÆGYPTUS ſummo condidit alma DEO,  
\*RE, fateor, \*LATA fates occupatus & \*ALTA,  
Qvæq; \*RELATA DEO digna favore ſatis.  
Hinc precor, ut decus inde Tibi \*TALARE paretur,  
Sintq; TER \*ALA Tibi qvæ documenta dabis,  
Qvā Domini mox ALTARIS relévere Minister,  
Qvod \*Re Cultores ſervet ALATve † fuos.

*\*ALTARE Anagr. 1. RE-LATA 2. RE-ALTA 3. RELATA  
4. TALARE 5. TER-ALA 6. RE-ALAT † I. Corinth. IX 13.*

*LMq.*

**ANDR. DAN. HABICHHORST. D.**

*Ad Nobil. & Clariss. DN. RESPONDENTEM.*

**T**ollitur ingenium, dociliqve nitescit ab uſu,  
Idq; tuo exemplo, dulcis Amice, probas.

**E Cathe-**

E Cathédrà instituis vice dissertare secundâ,  
Doctrinæ ut prodas uberioris opes.  
Illa aliquando ferent largum conamina fructum;  
Gloria qvin etiam propria perpes erit.

*sec. gratnabundus*

JOH. FECHT. D. P.P. Consist. Duc. Adfessor.  
& district. Rostoch. Superintend.

**F**elicis gressu, felici fidere perges,  
Egregio cursu per sacra cuncta ruis.  
Te nuper clarè per sacra Elementa vagatum,  
Undam Baptismi concelebrasse, scio,  
Quidq; Altare DEI Cœnantibus offerat esca,  
Monstratum Catbedrâ Te resonante dabas.  
Nunc, HÜBNER E. DELspectas ALTARIA summi,  
Quæ medium ÄGRPTI Dis data terratenet.  
Non frustra, JUVENIS DOMINO DILECTE, laboras:  
Ad sanctas ARAS Te Deus Ipse feret.

Gratulante Animo & Calamo benè omni-  
nante deproperabat

*LMg.*

JOH. PETR. Grünenberg/ D. P.P. Consil. Duc.  
Consist. & District. Mekelnb. Superintend.

**H**err Wübner steigt mit Ruhm/ kan jene  
Spize reichen/  
Wo selbst der Weisheit Strahl/ Aug/ Sinn und  
Herz erfreut;  
Apollo selbst verspricht ihm schon die Ehren Zeichen/  
Komit sein wehrter Nahm soll prangen jederzeit.  
Wir

Wir sehn in ic Lust-Begier/ was er zu Tage leget/  
Es muß die Cathedra zu seinem Preise stehen:  
Wir merken was der Fleiß für edle Früchte träget/  
Und wie die Pallas wil sein Haupt mit Ruhm  
erhöhn.

Darumb so muß sich auch der MusenSchaar ersfreue/  
Man wünschet heute Ihm/Herr Hübner/tau-  
send Glück.

Ich muß/ Hochwerther Freund/ auch meine  
Pflicht ernennen/  
Wünsch/das der Höchste Ihn mit Kraft  
und Weegen schmück!

So wolte dem Herrn Respondenten/ als seinem Hoch-  
werthesten Freunde/ wohlmeinend gratuliren  
CHRISTIANUS SARTORIUS SS: Theol  
& Phil. Stud.

**D**Es ohn längst Rostock mich in seinen Mauren  
schloß/  
War mir mein Wertheister/ sein embiges bemühe/  
Wenn theurer Lehrer Obell in Strohme sich ergoß/  
Zur gnüge schon bekandt. Jetzt ist's dahin gediehen/  
Das Ihn die Weisheit läßt in ihren Tempel gehen/  
Und da mit höchstem Ruhm auf der Catheder sitzen.  
aus Leipzig aufrichtigst überendet

von  
JOHANN. CHRISTIAN Herzog. Siles.

Darß

**S**arflich auch/ Werthster Freund/ zu seinem  
Altar gehen/  
So zündet meine Hand ein schlechtes Räuch-  
Werck an/  
Ein treues Herz muß Ihm zu sitem Dienste stehen/  
Diß ist die Altars-Wab/ so gut ichs bringen  
kan.

So entdeckte dem Hn. Respondenten bey gele-  
genheit seiner zum andernmahl rühm-  
lichst gehaltenen Disputation sein dienster-  
gebenes Gemüth/ desen schon längst ob-  
ligirter Freund.

ZACHARIAS Hasselmann/ Rostoch.

**A**LTARE monstras in MEDIO LOCO  
ÆGYPTIORUM, qvod bonitas DEI  
Promisit illis exstruendum,  
Ut foret ejus Amoris index.  
Les hæc profecto ponderis ardui,  
Amice, de quo nunc Tibi gratulor,  
ALTARE jam jam ventilandam  
Te ter et ad meritos honores.  
*Hic extempore linea lis  
Anit o suo valde dilecto iterata vice publicum Eruditionis  
sux specimen edenti applaudere voluit*  
MICHAEL GEERKENS, Hamburgens.  
SS. Theol. Stud.

as(O)s





**E**st ALTARE Tibi curæ, qvæ proſit, ut ex in  
ALTARI curâ präficiare DEI!

Duabus bisce Lincolis. Clarissimo Dn. Reſp.  
Amico ſuo jucundiffimo applaudit

**JOHANNES NICOLAUS QVISTOR**  
h. t. Acad. RECTOR.

Ad Clare Doctum DN. RESP. HÜBNERU  
Nuper in Collegio Theol. Disputatorio, ſuper potiores  
Theologiae Polemicae Qvæſtiones Auditorem, Opponentem  
ſpondentem singulariter induſtrium ſemperq; paratu  
post alia induſtria documenta, tam publica  
qvam privatæ.

**D**e ALTARI jam ex Jc. XIX. 19. publicè Disputatu  
Um Studii jam materies ALTARE, qvod  
ÆGYPTUS ſummo condidit alma DE  
\*RE, fateor, \*LATA ſat es occupatus & \*  
Qvæcq; \*RELATA DEO digna favore  
Hinc precor, ut decus inde Tibi \*TALARE  
Sintq; TER \*ALA Tibi qvæ documenta dabi  
Qvā Domini mox ALTARIS relévere Ministe  
Qvod \*Re Cultores ſervet ALATve † ſuos  
\*ALTARE Anagr. 1. RE-LATA 2. RE-ALTA 3. E  
4. TALARE 5. TER-ALA 6. RE-ALAT † 1. Corin

LM<sub>3</sub>

ANDR. DAN. HABICHHO

Ad Nobil. & Clariss. DN. RESPONDENTEM

**T**ollitur ingenium, dociliqve nitescit ab u  
Idq; tuo exemplo, dulcis Amice, pr

